


David Tancke Thomas Wehner

## **Dissertatio Theologica, continens Explicationem Dicti Esaiae 9. V. 6. 7. Puer Natus Est Nobis &c.**

Rostochii: Pedanus, 1620

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737568836>

Druck Freier  Zugang



Vert... Th. Wehmerius

D. Jancke.

R. U. theol. 1620.



DISSERTATIO THEOLOGICA,

continens

EXPLICATIONEM

DICTI ESAIÆ 9. V. 6. 7.

PUER NATUS EST NOBIS &c.

*Quam*

SUB AUSPICIIS IMMANUELIS NOSTRI,

PRÆSIDE

DAVIDE TANCKEN

VVismariensi, S S. Theolog.

LICENTIATO,


PUBLICICE DEFENDET

M. THOMAS VVEHNERUS

Rochlitiâ Misnicus.

*Ad diem 29. Januar.*

*Horis matutinis.*




ROSTOCHII

Typis JOACHIMI PEDANI, Academia Typog.

ANNO M. DC. XX.

1620.



REVERENDISS: ILLUSTRISSIMIS  
AC CELSISSIMIS PRINCIPIBUS  
ET DOMINIS,

DN. ADOLPHO FRIDERICO,  
ET

DN. IOHANNI ALBERTO,  
Coadjutori Episcopatus Raze-  
burgensis,

*Ducibus Megapolitanis, Principibus Henetorum,  
Comitibus Schwerinensium, Dynastis Rostochij & Stargardia,  
Dominis meis Clementissimis,*

NEC NON

MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS, PRUDEN-  
TISSIMISq; VIRIS,

DNN. CONSULIBUS, ET SENATORI-  
bus inclytæ Reipubl. Rostochiensis  
dignissimis,

ACADEMIAE ROSARUM PATRO-  
NIS MUNIFICENTISSIMIS.

*Disputationem hanc Theologicam in signum gratitudinis  
& novi Anni felix auspiciis submitte*

OFFERO

DAVID TANCKEN

*Wismar. SS. Theolog.*  
LICENT.



100100

# EXPLICATIO DICTI

Esa. 9. v. 6. 7.

PUER NATUS EST NOBIS, &c.

## THESIS I.



*I*tra controversiam magnum est pietatis my-  
sterium: Deus est manifestatus in carne, inquit Paulus  
1. Tim. 3. v. 16. Verè hoc mysterium magnum,  
Si i. in sese consideretur. Nam quid Deus? quid  
caro? illam cœli cœlorum non possunt capere  
1. Reg. 8. v. 27. Hæc cum guttâ situlæ compara-  
tur, & pulvisculo in staterâ remanente Esa. 40. v. 15. Ille est in-  
visibilis 1. Tim. 1. 17. hæc videtur oculis: ille non mutatur, Ma-  
lach. 3. 6. hæc mille infirmitatibus torquetur, ut meritò ista  
manifestatio Dei in carne magnum mysterium dicatur, imò di-  
gnum censeatur, ad quod omnes sensus humani obstupescant.  
*Quicquid in thesauro divinæ pietatis est inventum, totum id in utero virginis  
est congestum: portatur manibus famineis portator cœli, lambit ubera, re-  
gens sidera.*

## II.

Magnum pietatis mysterium; Deus est manifestatus in carne, Si 2. fru-  
ctus ejus cognoscatur. Ternis genus humanum decumbebat vici-  
bus: in principio, medio & fine. Illic nativitatibus immunditie: istic vitæ  
nequitie: hic mortis pernitie. Sed ternis iterum vicibus para-  
tum est remedium, nempe in Christi *nativitate*, quæ immundi-  
tiam nostram purgavit: in vitæ ejus *integritate*, quæ nostram vitam  
sanctificavit: in mortis *atrocitate*, quæ nostram mortem fugavit.  
Quocirca citra controversiam magnum est pietatis mysterium:  
DEUM esse manifestatum in carne.

A 2

Quod

Quod magnum myſterium æquum eſt hoc præcipuè a nni tempore pijs meditationibus recollere, & in illud, quantum nobis in hac caligine mentis licet, introſpicere, id quod occasione dicti hujus Elaiæ (Prophetae cujus & quanti?) faciemus, in illa tria potiſſimum notantes, 1. *perſonam* vel *Meſſiam ipſum*. 2. *ejus regnum*. 3. *cauſſam*, cur fuerit exhibendus.

*Parvule, Nate DEI, cæptis allabere noſtris,  
Fac & ut enarrem cæleſti accommoda vitæ.*

## I. DE PERSONA MESSIÆ.

### I.V.

*Ocaſio.* **C**ominatus Propheta in præcedentibus fuerat populo Judaico graviffimas Theglath-Phalaſaris & Salmanaſaris afflictiones, vide 2. Reg. 15. 29. & c. 17. 5. quas ob commiſſa ſcelera eſſet ab hoſtibus perſeſſurus: jam tempus erat fideles conſolatione firmâ rursus erigere, ne ſub tantâ malorum congerie in barathrum deſperationis præcipitarentur, & in tam magnis anguſtijs animum penitus deſponderent.

### V.

Significat igitur, finem calamitatibus iſtis tandem futurum, nec planè populum DEI extirpandum eſſe: *Quia puer ipſis natus ſit, & filius datus*. Quibus appellationibus Meſſiam notat, quod is in carnem ſit venturus, & huic malo remedium quaeritur.

### VI.

Ne quis putet, infirmum eſſe Prophetae contra totalem Judæorum extirpationem argumentum, à *Meſſiae* natiuitate deſumptum, cum in præterito loquatur, ſiquidem hæc extirpatio, Meſſiâ exhibitò, omnium maximè metuenda erat juxta vaticinium Jacobi Gen. 49. 10. Non auferetur ſceptrum à Judâ & Legislator de pedibus ejus, uſq; quò veniat Siloh: Notandum eſt L. Tempus præteritum ſæpè in ſcripturâ, præſertim Prophetica, pro futuro poni: cujus exempla vide Gen. 9. 13. Pſal. 22. 17. Eſa. 53. 4. c. 60. v. 1. Quam regulam huic pertinere evincit *textus coherentia & collatio* cum c. 7. 14. & 2. Sam. 7. v. 12. 19, cujus cauſa eſt 1. *rei certitudo*.

*videtur, quod tam certò Messias nasci debuerit, ac si jam natus esset.*  
 2. *Nativitatis Messiae fructus, qui à primâ hominis creatione ad omnes*  
*pios redundavit. Heb. 13. v. 8. Notandum est II. quo argumento*  
*Propheta utatur. Hoc tale est: Si Messias, ex hoc populo, & quidem*  
*stante adhuc Politia Iudaiâ, est nasciturus, sequitur servandum esse hunc popu-*  
*lum usq; ad id tempus, & frustra ab hostibus totalem extirpationem ejus attemptari.*  
*At verum prius, ut tot edocuerit vaticinia & Dei promissiones. E. & posterius.*

VII.

Videamus autem Prosopographiam Messiae. I. ipsum vo- 1. Pater.  
 cat  $\text{Ἰησοῦς}$  puerum. Quæ appellatio describit 1. *Naturam ejus humane*  
*veritatem; Nasci enim Ἰησοῦς puerum, propriè & hoc loco nihil aliud*  
*est, quàm verum hominem nasci. 2. Summam humilitatem. Nam*  
*plus est, quàm si hominem dixisset, siquidem vox ista hoc loco*  
*comprehendit conceptionem, nativitatem, & quod inde usq; à*  
*primo exortu cruci, afflictionibus & fragilitati humanæ fuerit*  
*subiiciendus. 3. Miram clementiam. Puer nasci debuit, non aliquis*  
*tyrannus, qui arma tractaret, & castra sequeretur; sed cui pro-*  
*prium sit facile flecti & miserijs nostris συμπαθεῖν. 4. Natura inno-*  
*centiam. Licet enim pueri non sint sine peccato tam originali,*  
*quàm actuali, latè sic dicto, ut hic Messias: interim tamen in illos*  
*non cadunt peccata actualia, pressè dicta, h. est, praelectiva & vo-*  
*luntaria, undè sanguis eorum innocens dicitur. Ps. 106 38. Jer. 19. 4.*  
 Joël. 3. 24. Occasione hujus appellationis pia Antiquitas can-  
 tiones fecit: *Puer natus in Bethlehem &c. Et: Ein Kindelein so*  
*süßelich / etc.*

VIII.

II. Hunc puerum dicit *natum*, quo plenius naturam ejus hu- 2. natus.  
 manam exprimit. Quid enim aliud est nasci, quàm ex substan-  
 tiâ alterius formari, & alteri  $\delta\mu\omega\sigma\tau\omicron\nu$  fieri. Si igitur hic puer  
 (quæ vox verum hominem h. l. denotat) natus est. Ergo ex homi-  
 nis substantiâ formatus, & homini factus est  $\delta\mu\omega\sigma\tau\omicron\nu$ .

IX.

III. Messiam vocat *Filium*. Nomen *Filiy* propriè in scriptura 3. Filius.  
 sumitur, & *impropriè*. Propriè quando sumitur, significat eum, qui  
 parentes habet, ex quibus ortus & natus est. Hinc semper re-  
 spectum



spectum habet ad parentes, sicut Hebr. בן filius ad בנה aedifica-  
 vit, quod filius sit instar בנין aedificij, quod sit juxta ideam in-  
 mente vel tabulâ artificis, ut simili modo בן sit patris idea & si-  
 militudo, seu, quod ex parentibus sit extractus. Undè alij בנין fi-  
 lios vocant, quasi בנין i. e. lapides, ex patre quasi petrâ, & ex  
 matre quasi fodinâ excisi & effossi. In *impropiâ* significatione re-  
 spectum habet ad rem, cui quis est addictus seu destinatus, aut  
 quâ quis præditus est. In utraq; significatione id huic nomini  
 addendum est, cujus respectu ita dicitur. Sic est in scriptura:  
*Filius patris sui* Ezech. 18. 20. vide Matth. 1. 1. & seqq. Luc. 3. v. 23.  
 & seqq. *filius iniquitatis*, 2. Sam. 3. 34. *filius Belial*. 1. Sam. 2. v. 12. *filius*  
*mortis* 1. Sam. 26. v. 16. *filius perditionis* Joh. 17. 12. &c. quibus sem-  
 per additur *Genitivus*, qui significationem habet termini, à quo res  
 accipit relationis rationem. Apud Prophetam verò filius *absolutè*  
 dicitur sine ullâ adjectione seu correlativo. Itaq; cujus sit filius,  
 ex circumstantijs & appellatione בן לן *Dei fortis* intelligi  
 potest, quæ uti verum Deum describunt; sic & de eodem hîc ser-  
 monem esse evincunt. Cum igitur iste, de quo Propheta loquitur,  
 & *filius* & *Deus fortis* dicatur, certè exindè conficitur, nullum alium  
 intelligi, quàm DEI filium, illum ipsum, de quo Ps. 2. 7. dicitur:  
*Filius meus es tu, ego hodie genui te.* & 2. Sam. 7. 14. *Ego ero, ei in patrem,*  
*& ipse erit mihi in filium.* Tribuitur ergò Christo secundum divi-  
 nam naturam hoc loco nomen *Filij*, ut hac quasi insigni notâ à  
 toto genere humano discernatur.

X.

4. Datum,

IV. Hunc filium *datum* affirmat; quod verbum quia sum-  
 mo studio ab ipso Christo retinetur Joh. 3. 16. non dubium, quin  
 singulare quid in se contineat. Illò igitur Propheta digitum in-  
 tendit 1. ad filij hujus *æternitatem*, illum nempe prius secundum  
 quam naturam hîc dicitur filius, fuisse, quàm sit *datus*. 2. ad ipsius  
*immutabilitatem*; illum sc. non esse mutatum in carnem, sed man-  
 sisse filium DEI, qui antè erat: undè introducitur dicens:  
*Sum quod eram, nec eram, quod sum, nunc dicor utrumq;.* 3. ad ejusdem  
*divinitatem*. Nam ubicunq; filius Dei dicitur nobis *datum*, non *natus*,  
 ibi

ibi notari divinam ejus naturam certum est, siquidem juxta haec  
soli patri est natus: ex immensâ verò misericordiâ nobis datus.  
4. ad patris benignitatem. In eo enim quod filium suum nobis de-  
dit, elucet summa ejus misericordia, & meritis nostris nullus lo-  
cus relinquitur.

## XI

Illâ particula *Nobis* non sicco pede prætereunda est, cum sin-  
gularem contineat emphasin, & non sine causâ bis ponatur. 1. *car-*  
*nis nostræ excellentiam nobis in memoriam revocat.* Illi enim filij paren-  
tibus nascuntur, qui eorum sanguinis & seminis sunt participes.  
Confer Gen. 21. 2. Sic quando nobis hic puer natus dicitur, tum  
idem dicitur, quod Ecclesia canit: *Sine serpentis vulnere de nostro*  
*venit sanguine.* 2. *admonet nos fructus nativitatis, q. d. natus est nostro*  
*bono, in nostrum commodum, procurandæ nostræ saluti & re-*  
*stitutioni in integrum; ea propter non timere sed gaudere An-*  
*gelus pastores jubet.* Luc. 2. 10. 3. *Demonstrat, Christum non sibi na-*  
*tum esse, sed omnia nostrâ causâ fecisse, quæ fecit.* Alij infantes sibi &  
suis nascuntur; hic nobis. Nihil enim ipsum adegit, ut pro se  
nasceretur. 4. *Monstrat per idem medium in Veteri Test. pios fuisse salva-*  
*tos, per quod in Novo Test. salvamur.* 5. *Docet, totam vim & universum*  
*fructum hujus admirandi operis DEI consistere in applicatione, ut hunc pue-*  
*rum & filium verâ fide apprehendamus, & toto pectore credamus, nobis esse*  
*hunc puerum natum, hunc filium datum.* Non sufficit credere, Christum  
natum & datum esse, quod & Diabolus credit; sed sibi esse natum  
& datum. 6. *extollit nos supra Angelos.* Illis namq; non natus est hic  
puer, non filius DEI est datus, sed nobis, ut Angelus fatetur  
Luc. 2. 11. De quo Chemnicus Harm. c. 8. p. 188. *Sine dubio, inquit, An-*  
*gelus (Luc. 2.) admirabundus hoc mysterium protulit, cum ad redimendos*  
*Angelos lapsos, quæ præstantior natura est, quàm humana, filius DEI nolue-*  
*rit Angelicam naturam assumere, quod semen Abrahæ (qui ipse inquit: pulvis*  
*sui & cinis, Gen. 18. 27.) caro factus, assumerit: idem inquit, magnum est*  
*gaudium. Quia vobis, qui non tantum cinis & pulvis estis, sed hostes Dei &*  
*mancipia Diaboli, natus est Salvator.* 7. *Vult hunc puerum & filium ita su-*  
*scipiendum esse, uti nobis est natus & datus, h. e. ut esset nobis sapientia,*  
*& justitia, & sanctificatio, & redemptio.* 1. Cor. 1. 30.

Ad

XII.

5. Et confi-  
gulus &

Ad Descriptionem personæ Christi pertinet, quod V. Pro-  
pheta dicit: *Et fuit principatus super humerum ejus.* Alij: *Et factus.*  
Alij: *Et constitutus est.* Per principatum Hector Pintus super hunc  
locum putat intelligi *nos homines*, quos Christus super humeros  
suos posuerit, ut ad gloriam asportaret; Vel *lignum crucis*, quod  
Christus ad mortem Calvariæ bajulavit Joh. 19. 17. Et fortasse  
crucem ob eam causam principatum appellari, quia in eo eleva-  
tus Christus omnia ad se traxerit, juxta illud Joh. 12. 32. *Quando  
sublatus fuero è terrâ, omnes traham ad me ipsum.* Cujus sententiæ mul-  
tos ex veteribus fuisse indè liquet, quod historiam Annunciatio-  
nis Mariæ adumbraturi, puerum in humeris crucem habentem  
pinxerunt. Alij phrasin de *cruce & passione Christi* simpliciter in-  
terpretantur, quasi dicat: ipse patietur, cogetur gestare peccata  
totius generis humani, & patièdo vincet hostes, atq; hoc pacto  
principatum seu regnum suum constituet, huc referentes c. 33.  
v. 10. 11. Esa.

XIII.

Sed quid Propheta velit, rectius colligitur ex c. 22. 22. ubi  
*clavus dicitur imposta super humeros Eliakim.* Per clavem autem ibi  
principatum denotari ex versu præcedente est manifestum. Cum  
igitur ibidem clavem super humeros alterius ponere, nihil aliud  
sit, quàm potestatem gubernandi, adeoq; totam administratio-  
nem alteri imponere, ut omnia pro arbitrio suo moderetur,  
exindè colligimus, idem hoc in loco de Christo dici, videlicet  
potestatem & majestatem regnandi & gubernandi à patre ipsi  
esse concessam, quæ non nuda *ἐξουσία* sit absq; *δουάμει*: Sed  
quæ omnia reverà in cœlo & in terrâ regat. Conf. Matth. 11. 27.  
c. 28. 18, Eph. 1. 22.

XIV.

Si igitur Christus principatum habet; ergò est Princeps: Si  
istum super humeros habet. Ergò non tam fragilis, humilis &  
infirmus puer est, ut prudentiâ viribusq;, quæ in administratio-  
ne principatus requiruntur, destituatur: sed ipse principatus sui  
curam suscipit, non consiliarijs rem totam committit, quæ ex-  
pediènda, per ipsius manum expediuntur omnia, ipse etiam fe-  
rendo

endo oneri est par, & viribus sufficientissimis instructus, ut vere super humeros ejus principatum hunc constitutum dicere possimus: Es ligat ihm alles auff dem Halse. Metaphora phraseologica sumta est à bajulis, qui colla & humeros præbent ad maxima onera, eosq; rebus gestandis supponunt.

XV.

Magnæ idcirco *môlis* est hunc principatum administrare, ad quam pertinet collectio, gubernatio, defensio, liberatio & salvatio Ecclesiæ: magnæ *fidelitatis* exemplum est, quod ipse humeros tanti oneri supponit: Licet enim ministris quoq; ad hanc rem utatur, ipse tamen in illis omnia agit. Eph. 4. 10. 1. Cor. 3. 5. Magnæ *misericiordiæ* testimonium est, quod, postquam genus humanum alterius principatum se submissit, & in Diaboli potestatem venisset, hic nos è potestate ipsius liberet, & ad verum nostrum Dominum reducat: magnæ *gratiæ* argumentum est, quod baculum humeri, quo tyranni populum DEI premebant (de quo supra v. 4.) confringit, & principatum ipse humeris suis sustinet.

XVI.

Quod hic *principatus* dicitur, id alibi vocatur *Regnum*, undè & Regis nomen Christus habet, & regere dicitur. Confer 2. Sam. 7. v. 12. 13. 16. Ps. 2. v. 6. 9. Joh. 18. 37. Luc. 23. 42. 1. Cor. 15. 24. Regnum ejus distinguitur tripliciter, 1. in Regnum *potentiæ*, quod est generale illud dominium super omnia. 2. Regnum *gratiæ*, quod est spiritualis illa actio bonitatis & misericordiæ in Ecclesia. 3. Regnum *gloriæ*, quod conspicietur in Resurrectione mortuorum & judicio universali.

XVII.

Hunc tantum Principem & tantum Regem benè novissè oportet, hujus nomina scire convenit, quorum Propheta 6. recenset, quæ *partim Naturam ejus divinam, partim officia & beneficia ipsius describunt, nobis ostendunt, quæ & quanta per illum gestanda & nobis conferenda fuerint*: procul dubio nomen Immanuelis, quod c. 7. 14. eidem imposuerat, his voluit explicare & illustrare.

XIX.

Quæ Latinus interpres effect: *Et vocabitur nomen ejus*: fontes  
B Hebraici

Hebraici sic habent: **וְשָׂא נִקְרָא**, & vocavit nomen ejus, in Fut.  
 Kal, ubi ו conversivum positum, mutat significationem Futuri  
 in significationem Præteriti. *Judei*, gloriam Messiaë obscurantes,  
 uno contextu legunt: *Et vocavit nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus*  
*ferrus &c.* ut huic filio solummodò reliquum faciant, principem vo-  
 cari paci; cætera nomina omnia ad Deum patrem referunt. Vide  
*Galat. de arcan. Cathol. verit. l. 3. c. 19. p. 151.*

XIX.

Quis verò non videt esse hanc contortam explicationem?  
 Nam 1. quorsum opus esset tot epitheta in Deum patrem hoc lo-  
 co congerere, si tantùm hoc unicum nomen (*principi paci*) huic  
 filio impositum fuisse Propheta statuat, qui unica voce **שָׂא** aut  
 simili se expedire potuisset. 2. Non erat hæc recta series inter di-  
 versa elogia inserere DEI nomen: sed continuo post verbum  
**נִקְרָא** debuit subijci, hoc modo: *Et vocavit Deus fortis, Admirabilis &c.*  
 3. Nomen **צַדִּיק** (*consiliarius*) simpliciter in Deum patrem non  
 quadrat; quia talem consiliarium significat, qui Regibus vel alijs  
 consilio adest, à radice **צָדַק** *consilium dedit, consuluit*. Epitheta verò  
 quæ Deo patri tribui solent, vel perpetus sunt, vel accommo-  
 dantur ad causam præsentem, quorum neutrum hoc loco cogno-  
 scere licet: Christo tamen apprimè convenit, ut postea dicitur.

XX.

Vatablus ita vertit: *Et vocabit scilicet Spiritus Sanctus. Alij:*  
*ejus nomen vocat scilicet Dominus. Alij: Vocat scilicet Iehova.* Bellar-  
 minus lib. 2. de verbo DEI c. 2. §. 2. hîc fontes turbidos fluere  
 putat, cum existimet, textum habere debere **נִקְרָא** vocabitur,  
 non **נִקְרָא** vocabit. Sed scire hi debuerunt, *verba in tertiâ per-*  
*sonâ posita usitato more accipi impersonaliter.* Exempla sunt Gen. II. 9.  
 c. 19. 22. c. 25. 30. c. 27. 36. c. 50. II. (Hæc fit *עַד עַד מַעוֹת*), quod  
 vocula **וְאִישׁ** vir, vel *unusquisq;* frequenter omittatur, quæ in Ger-  
 manicâ & Gallicâ lingua talibus locutionibus semper additur:  
*Man wirdt jhn nennen/ man heisset jhn/ ON appellerà, ON a appelle,* ubi  
 ON ponitur pro *homme*, id est, viro) sic quando hîc dicitur, **נִקְרָא**

voca-

vocabitur, tum subintelligitur *vir* vel *unusquisque*, qui scilicet eum rectè agnoscit, vel usitatus effertur impersonaliter, *vocabitur, vocatum est, fuit appellatum*, ut propterea non opus sit vocabulum *S. S. Domini* vel *Iehovæ* addere, vel statuerè, fontes esse corruptos.

XXI.

Præclare *Lutherus* super hunc locum Tom. 3. Jen. Germ. p. 137. b. observat, verba Hebræa posse ita verti: vñd sein *Nabme* sol geprediget werden/ quasi de eo per totum mundum prædicari debeat, quod sit *admirabilis, consiliarius, &c.* ob Heb. *נִבְיָא*, quod non tantum significat *vocavit, nominavit*; sed etiam interdum *annunciavit, prædicavit*, ut exempla *Jos. 8. 34. Levit. 25. 10. Esa. 40. 2. 3. c. 61. v. 1. Nehem. 6. 7.* testari possunt.

XXII.

*Septuaginta Interpretes* priusquam nomina Christi à Prophetâ ipsi assignata, recensent, ponunt nomen *Angeli magni consilij*: *αγγελος καλεσται το ὄνομα αὐτοῦ μεγάλης βουλῆς ἄγγελος.* Quod quidem commodè de Christo dicitur: Sed in Heb. non est, nec probabile sit antea fuisse: ideoq; ad nostrum textum non pertinet, licet *Messias* noster aliàs verè sit *magni consilij Angelus*, nimirum ille, cum quo *Deus pater* in creatione hominis consilium inijt, dicens: *faciamus hominem*, *Gen. 1. v. 26.* Et qui alibi æterna sapientia patris dicitur, *Prov. 8. 22.* Cum etiam postea *consiliarius* dicatur, hoc nomen loco præsentis supervacaneum esse putamus.

XXIII.

*Primus autem titulus*, qui ipsi à Prophetâ datur, est *נִבְיָא Admirabilis, omni admiratione dignus*, qui desumptus videtur ex lib. *Jud. 13. 18.* ubi idem hic *Messias* noster dicit: *Quare interrogas de nomine meo, quod mirabile est?* *Propheta* ab hoc nomine exorditur, ut auditores, qui ea quæ mirabilia & rara dicuntur, libenter audiunt, attentiores reddat.

XXIV.

Rectissimè hac appellatione *Messias* noster venit. Nam est *Admirabilis* i. *ratione personæ*, in quâ sunt duæ naturæ, divina & humana personaliter unitæ: *Den aller Welt Kreis nie beschloß / Der liegt in Marien schoß / quod est mirabile in oculis nostris. 2.*

ratione officij; vult enim nos redimere à morte, & ipse moritur, liberare à Diabolo, & ipse ab eodem tentatur, nos exaltare, & ipse humiliatur, nos ditare, & ipse sit pauper, regnum instituire, & ipse crucifigitur. Huc pertinent omnia illa miracula stupenda & admiranda, quæ edidit, hoc nomen quàm rectissimè ipsi competere probantia.

XXV.

3. *Consiliarius.* *Secundus Titulus, quo Messias noster insignitur, est װײַל consiliarius.* Hic videtur desumptus ex Prov. 8. 14, ubi idem hic Messias dicit: *Mibi vel meum est consilium.* Hoc nomen habet: 1. *respectu patris*, cujus est sapientia. Prov. 8. 22. 2. *respectu nostri*, quia instructus ad nos venit omnibus sapientiæ numeris. Officium consiliarij obivit, quando cum patre de creatione hominis consultavit, Gen. 1. 26. quando ad redimendum genus humanum se spontè obtulit. Psal. 40. 8. Joh. 10. 17. Gal. 2. 20. Eph. 5. 2. 25. quando consilium DEI de medio perveniendi in Regnum cælorum nobis aperuit. Joh. 1. 18. quale consilium dicitur *Baptismus*, Luc. 7. 30. Undè idem appellatur *via, veritas & vita*. Joh. 14. 6. & nobis factus est *sapientia*. 1. Cor. 1. 30. Quid multis? Officium consiliarij obivit, quando adhuc per verbum salutaria consilia in omnibus necessitatibus nobis suggerit. *Nicodemus* venit ad ipsum, & consilium ingrediendi in regnum cælorum petijt: facile obtinuit. Ioh. 3. 1. *Veni & tu ac tale quid pete, non vacuus redibis: Dominus ipsi dedit linguam eruditam, ut sciat sustentare eum qui lassus est verbo.* Esa. 50. 4. Vide ordine longo multa salutaria hujus Messia consilia. Joh. 14. 15. 16. capp.

XXVI.

Possunt quidem & homines interdum in maximis difficultatibus suppeditare consilia: sed externa illa negotia sunt, quibus applicantur: hic non tantum in corporalibus, sed & spiritualibus difficultatibus consultit, quando de pollutæ conscientia tranquillitate, æternorum cruciatuum fogâ, peccatorum remissione quæstio est. Pl. 50. 15. Hic audi illum, quem pater audire jussit. Matth. 17. 5. *aliorum consilia dissipabuntur: sed consilium Domini manet in æternum.* Pl. 33. 10. 11.

Ne

XXVII.

Nè vero existimes, talem te habere consiliarium, cui ejusmodi <sup>3. Deus.</sup> di suppetant consilia, quæ ipse effectui dare nequeat, vide *Titulum tertium* ipsi à Prophetâ assignatum. Dicitur enim *HN Deus, Vala-*  
*blus, Heros, Lutherus* in Biblijs Germanicis reddidit *Krafft*/eò quod deducatur ab *HN* inus: quæ vox fortitudinem, virtutem, vel potestatem significat, & quod sæpè *HN* in tali significatione usurpetur; Vid. Deut. 28. 32. Prov. 3. 27. Hanc tamen sententiam postea mutavit, & voculam *HN* hoc loco Deum reddidit: Und sein Name heist Wunderbahr/ Rath/ GOTT/ Heldt/ etc. Vid. Tom. 8. Jen. Germ. p. 145. b. ubi addit: Nie nimpt Isaias dem Nathan (2. Sam. 7. 13.) das Wort auß dem Munde / da er von Messia weissaget / das er ein Ewiger König vnd Varen sein solce in GOTTes Reich. Vnd er nennet ihn auch GOTT. Denn das Wort Ell heist wol nach dem Buchstaben Krafft/ aber wens ein eigen Name ist/ wie hier/ so heisst GOTT/ durch die ganze Schrift / der allein Krafft hat/ wie das beyde Juden vnd Ebreissen bekennen müssen.

XXIIX.

Non igitur Lutherus accusandus est, quasi ex singulari erga Arianos affectu hanc vocem in Biblijs ita verterit. Discrimen longè maximum est inter versionem illius, qui toto peccore rem ipsam amplectitur, & hujus, qui totis viribus illam negat. Habuit Lutherus in initio suas rationes cur ita verteret, licet aliàs Christum verum Deum confiteretur, ejusq; divinitatem aliunde probandam esse censeret. Vid. Tom. 3. p. 183. b. & in c. 31. Gen. fol. 478.

XXIX.

Usurpatur autem in scripturis vox ista 1. pro vero & æterno Deo. Gen. 14. 22. c. 21. 33. Ps. 22. 2. Dan. 11. 36. 2. pro idolis. Esa. 44. v. 10. 15. quæ vana superstitio in locum Dei vehitur. 3. pro Angelis Exod. 15. 11. quorum opera Deus usitur in operibus suis perficiendis. 4. pro hominibus magnis & potentibus. Ps. 29. 1. Ps. 89. 7. 5. Pro fortitudine seu virtute; Deut. 28. 32. Prov. 3. 27. Christum verò hic dici Deum in primâ significatione ex Quæstione 2. patebit.

Qui



Qui appellatur **HN** à fortitudine i. quod ipse essentia sua sit fortissimus, atq; adeò ipsa fortitudo. 2. quia se nobis fortissimum exhibet in creatione, conservatione, gubernatione, conversione & redemptione. Ab hostibus nostris validis & robustis facile vinceremur, nisi divino Christi robore frueremur. Confer Luc. 11. 22. Quantumvis enim secundum carnem fragilis esset, & cruci affigendus: virtute tamen divinâ fortis fuit, eaq; hostes nostros omnes superavit.

4. *Giga.* Quartus Titulus est **גביר** robustus, Heros, Gigas: quem si quis ad præcedentem referre velit, non reluctabimur, imò ex c. 10. Esa. v. 21. videtur colligi posse, quod hæc nomina sint conjungenda. Desumitur autem ex Ps. 45. 4. *Accinge te gladio tuo super femur, Heros, gloria tua & decore tuo.*

Commodè additur superiori, quo Consiliarium Messiam dixerat: Quod enim Germani dicere solent: *Mit Rath und that einem beybringen/* consilio & opere alteri adesse: istud Propheta duobus his nominibus inuere voluit. Paucos inter mundanos principes invenias Heroës, qui audeant Monomachiam cum adversario suscipere, qualis Heros fuit *David*, pugnans cum *Goliatho*, qui in eo typum Christi gessit, 1. Sam. 17. 47. Alij etiam robore & fortitudine fuerunt clari, ut *Abraham*, *Gedeon*, *Samsen*: Sed nullus inventus est, qui cum hostibus nostris spiritualibus sit congressus, cum morte monomachiam susceperit, & victoriam reportarit, excepto solo Christo. Unde Ecclesia ipsum celebrat, quod tanquam *Gigas* geminæ substantiæ alacris viam suam cucurrerit: quò etiam pertinet parabola de Forti à Fortiori superato, Matth. 12. 29.

3. *Pater æternitatis.* Accedimus ad quintum Titulum, qui est: *pater æternitatis*. *Qui- dam: pater seculi*. Alij, *pater æternus*. *Vatablus, autor vite*. Sicuti *Iubal* dicitur *pater Musices*, id est, autor, Gen. 4. 21. Pater autem dicitur non confusione personarum, ut *Sabellius* olim delirabat, non distinguens inter patrem & filium: sed nomen patris inscriptu-

scriptura sumitur ἡ σωδωσ, id est, de essentia Dei, & ἡ σωδωσ, id est, de unâ aliquâ persona. In priori significatione competit toti Trinitati, uni vero Deo, qui *generaliter* pater est omnium, ratione creationis & conservationis: *specialiter*, ratione adoptionis & paterni affectus, est pater credentium. In posteriori sensu uni tantum personæ convenit. Hoc loco ἡ σωδωσ sumitur, quo modo Christus est pater: quia *creavit nos*. Malach. 2. 10. ipse pater est: quia εὐργῆ plus quàm paternâ nos complectitur, nos regignit, & liberos Dei facit.

XXXIV.

Licet igitur sit princeps, & principatum super humeros suos gerat: non tamen est venturus, ut truculentus Tyrannus, aut asper Dominus: sed ut *pater*. Pater amat, fovet, defendit, nutrit ac curat liberos: Sic Christus suam Ecclesiam tanquam pater Φιλοεὐργῆτατος amanter complectitur, eiq; se præbet benignum & fidelem curatorem.

XXXV.

Alij etiam Principes vocantur *patres patriæ*, quod paternum erga subditos suos affectum aliquâ ex parte demonstrent: non tamen cum hoc patre sunt comparandi, neq; patres *æternitatis* dici possunt, quod de Christo Propheta asserit.

XXXVI.

Hebræum namq; נָשִׂי, quod de Deo usurpatum *æternitatem* significat, fragilitati & miserijs vitæ præsentis opponitur. Quid בִּיָּצָו, nisi בִּיאָ, vis & molestia? quid סָמָא nisi מָוֹתָ, cadaver? quid חֶסֶת, nisi עַל הַיָּד הַזֹּאת, id est, in terram dejectio? Germanicum leben / si convertas est nebel / & vocula temporis Cras inversa est Saref. Sed Christus est pater æternitatis, cum *ratione nature divinæ*, secundum quam ab æterno à patre est genitus Ps. 2. 7. Mich. 5. v. 2. & in principio apud Deum fuit Joh. 1. 1. cum *ratione officij*, quia suum erga nos paternum affectum in omnem æternitatem continuat, ab ipso gens nova cœpit, novus mundus, vitæ æternæ & perpetuæ nobis autor est, & omnium seculorum servatur. Confer Heb. 13. v. 8. Apoc. 13. 8. Græcus interpres vertit: πατὴρ μέλλοντος αἰῶνος, pater futuri seculi, quod non ad cœlestem tantum vitam restringendum.

Sextim

6. Princeps  
pacis.

Sextus Titulus est Princeps pacis.  $\text{שלום}$  pax apud Hebræos vocabulum generale est, & significat tranquillitatem, prosperitatem, sanitatem, incolumitatem: à quo descendit Salomon, id est, pacificus, & Arabum atq; Turcarum Solymanus, vel Solymus, item appellatio Musulman, id est, salvatus, cui est pax & salus, quo nomine Turcæ dicuntur. Cum enim Mahomet suum dogma propagaret, gladio iussit occidi omnes nolentes amplecti hoc ejus symbolum: *Alla illa Alla, Mehammed rassul Alla* (quod etiamnum Mahometani magnis vocibus inclamant) id est, non est Deus, nisi Deus, & Mahomet Apostolus ejus. Quicumq; ergo id amplectebatur, dicebatur Musulman, id est, liberatus à gladio & periculo mortis, quam reluctanter Mahomet intentabat.

Desumptum est hoc nomen ex Pl. 72. 7. *Orietur in diebus ejus justus, & multitudo pacis donec non erit luna.* Hoc sextum Epitheton ferè  $\text{ἐξηννηχὼς}$  additur superioribus, & demonstrat, qualem vitam omnes hujus Principis subditi sub ejus imperio agere debeant, non quæ sit cum bellis & tumultibus conjuncta; sed quæ solidam & plenam felicitatem adferat.

Non vocat ipsum *pacificum*: sed *principem pacis*, quales dicuntur, qui & ipsi pacem colunt, & alijs eam conciliant. Utrumq; Christo convenit, ipse miris est. Esa. 42. 3. Matth. 11. 29. est nostra pax Eph. 2. 14, cujus gratia *pacem apud Deum habemus*, Rom. 5. 1. tranquillat conscientias, ut cognitione suorum peccatorum, & terrore iræ Dei perturbatæ, jam peccatis per gratiam Dei remissis, in quiete sint, & quiete Deo serviant. Ipse verus est *Fredericus*, id est, dives pacis, cujus sub imperio jucundum est vivere, & beatâ pace frui.

Hanc pacem à se nobis relinquere Christus, ipse testatur, Joh. 14. 27. & Angeli illam nobis gratulantur, Luc. 2. 14. Quia non est externa pax, quæ in mundo vix unquam acquiritur; sed spiritualis, quæ etiam durat in confusissimis hominum rebus & medijs bellorum incendijs, Apostolus testatur Phil. 4. 7. *exuperate illam*

illam omnem sensum; siquidem quilibet, sentiens se terrore peccatorum & poenarum liberatum, esse in gratia, & Dei amicitia, miramini animi pace, & tranquillitate perfruitur, eamque in proximum derivat, ut cum omnibus, quantum potest, pacem colat.

XL I.

Alibi Christus dicit: *Non veni pacem mittere, sed gladium*, Matth. 10. 34. ubi distinguendum inter illud, quod *per se fit*, & quod *per accidens*. Ipse mittit pacem, docet & suadet, sed mundus non datus locum veritati & pijs admonitionibus bellum movet. Christus suam ut complectantur homines doctrinam hortatur: Satan domicilium suum vult tueri: unde oriuntur dissidia, insurgunt hostiles conatus, quæ non *per se* sed *per accidens* cum pace Christi sunt conjuncta.

XL II.

De his titulis in genere ita scribit *Barrad Harmon.* part. I. p. 56, *Admirabilis est Rex hic, admirabilis Deus, admirabili incarnatione factus homo admirabilis, admirabilis conceptione, admirabilis ortu, admirabilis vita, admirabilis paupertate, laborum perpeffione ac morte, admirabilis resurrectione, & in cælum ascensione. Consiliarius est, quia salutaria toti orbi consilia dedit. Cæteri Reges consiliarijs indigent, à quibus accipiant consilia, Rex hic ipse sibi & nobis Consiliarius est. Non accipit sed dat consilia, neque enim consiliario eget, qui summa est sapientia. Deus præterea est, æterno æqualis patri: Fortis ad debellandos hostes Tartæcos, mortem & peccatum: pater futuri seculi, quia hoc aureum seculum, quod nunc est, Propheta verò tempore futurum erat, hanc auream ætatem gratiæ aureo splendore rutilantem ipse genuit. Princeps denique pacis, quia hic est non typicus, sed verus Rex Salomon, i. pacificus.*

XL III.

Aptissimè accommodantur ad rem præsentem: prædixerat enim Propheta varias afflictiones, quæ populo Judaico evenire deberent: postquam verò perterritos animos concione Evangelij vicissim crexisset, & redemptionem ipsis annuiciasset, describit illum, per quem redemptio ista fieri debebat, eumque sic commendat, quod *Admirabilis, Consiliarius, Deus &c.* sic futurus: idcirco fore certissimum, quod nuntiasset, & reverà ipsos optatissimum hujus rei eventum perpecturos. *Hæc est persona descriptio.*

C

II. DE

## II. DE CHRISTI REGNO.

XLIV.

**D**E Messia regno Propheta sic loquitur: *Multiplicationi principatus & paci non erit finis.* Alij: *ad multiplicandum principatum.* Alij: *ad proferendum imperium.* Alij: *multitudinis illius principatus.* Alij: *multiplicitatis sive multiplicationis illius.* Vocaverat Messiam  $\text{מלך}$  principem, inde occasionem sumit aliquid de *Qualitate Regni* ipsius dicendi, qualis nempe status ejus sit futurus.

XLV.

Habet hoc loco textus Hebraeus aliquid singulare, quod alibi *de lit.*  $\square$  in tota scriptura non observatur. Nam litera  $\square$  in  $\text{לספרה}$  *que in principio clausa.* praeter solitum ponitur clausa, quae tamen in principio & medio dictionis aperta scribi debebat hoc modo  $\square$ . Ex illa singulari scriptione hujus literae factum est, ut interpretes mysterium aliquod in ipsa quaesierint, nec adhuc inter omnes convenit, quid per illam debuerit significari.

XLVI.

*Galatinus de arcan. Cathol. verit. l. 4. c. 19.* refert, in lib. *Sanhedrin* in cap. *Col. Israel* scriptum esse; cum R. *Tanham* quaereret, quaenam esset ratio, quod cum omnis *Mem* in medio vocabuli posita, aperta sit, haec sola inveniat clausa, statim in illa hora exiverit *filia vocis*, id est, revelatio, sive vox de caelo dicens:  $\text{הי סודי לי סודי לי}$  id est, *secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Quod exponens R. *Salomo* ait, Deum dixisse: *Hoc secretum de adventu Messia meum est.*

XLVII.

Idem dicto loco tempus adventus Messiae praefixum per *Mem* clausam significari, conatur demonstrare. Lib. 7. c. 13. *Rabbenu Haccados* in tertia positione ejus libri, qui *Gale razeia*, id est, revelator arcanorum dicitur, ex his verbis:  $\text{הַסְרֵה לְמִיָּהּ מִמֶּנִּי}$  nomen *Marris Christi* colligere voluisse scribit, & ex illis fecisse; *Miriam Sara*, id est, *Maria Domina.* Judaei exponunt, quod multiplicatio imperij fuerit clausa, id est, ignota Judaeis, tempore captivitatis *Babylonicae.*

Aij

*Alij* existimant, gentem Judaicam perfidia suæ causâ excludi hoc signo ab hujus regni societate, quasi regnum his sit clausum, ut non alijs aditus aperiatur. *Alij*; Christi regnum fore, quod ad externam speciem attinet, contractum, non splendidum externa opulentia aut potentia, & quod dilatationem certâ fide & spe expectet. *Alij*, numerum annorum à vaticinio edico usq; ad mortem Christi vel ad vastationem urbis Hierosolymæ præfigurari. *Alij*, Christi imperium fore Judæis clausum & absconditum, quod usq; in hunc diem non intelligant. *Alij*, Christi imperium nunquam finem habiturum, sicuti litera illa clausa nullum exitum habet. *Alij*, Messiam nasciturum ex virgine, & clausâ matre. *Alij*, significari putant servitutem, quâ Judæicus populus premeudus, & tanquam carceribus includendus & coarctandus erat usq; ad Messia adventum, qui, ruptis illis repagulis, & carceribus effractis, libertatem populo esset restitutus, & regnum suum longè lateq; propagaturus. *Alij*, regnum Christi ante ejus adventum in carnem fore contractum intra certos limites terræ promissæ, post exhibitum Messiam ampliandum & dilatandum. *Alij*, Judæis inter varias pressuras sperandam arcanam dilatationem regni, quæ promissa erat. *Alij* suspicantur, perpetuam Mariæ virginitatem insinuari. *Alij*, mysterium vocationis gentium esse absconditum à seculo.

## XLIX.

Quamquam hoc à nobis negligi posset, & inter illa recenseri, quorum cognitionem in hac virâ non habeamus; nihilominus tamen dicam, quid de hac scriptura existimem probabiliter sentiendum esse. Non confugio ad illas divinationes, quas jam maximam partem audivimus. Sunt enim longè petita, & nimis quàm incerta. Superioribus addi posset: Sicut □ litera fere rotunda est: Sic Deus in Christo omnia in unum, quasi in circulo est complexus: Sicut □ comprehendit initium & finem, illaq; connectit: Sic in incarnatione factum. Homo enim ultima creatura & finis creationis est; hic unitur cum primo omnium principio, cum Deus homo factus; undè Christus α & ω vocatur Apoc. 1. 8.

L.

Ejusmodi divinationes omitto; & potius dico, respiciendum esse ad subjectam materiam, de qua Propheta loquatur, & inde explicationem probabilem, analogiæ fidei consentientem, esse desumendam. Cum igitur Propheta vaticinetur de amplificatione Regni & Ecclesiæ Messia, quæ in Novo Testamento fieri debuit, quid impedit, quò minus de illâ omnium commodissimè litera hæc explicari possit? 1.  $\square$  quando pro  $\square$  hîc posita est, fuit dilatata, ex arctiori facta est longior: Sic ex arctissimo principatu tempore Christi latissimus fieri debebat. 2.  $\square$  litera pro  $\square$  posita, mutat valorem  $\square$ ; qui est 40. in 600: Sic tempore Christi numerus piorum & credentium ita crescere debebat, ut qui antea minimus fuit, jam maximus fieri debuerit. 3.  $\square$  litera aperta pro  $\square$  clausâ præter solitum in fine vocis posita Nehem. 2. 13. significat rupturam civitatis, & populi dissipationem, ut communiter interpretes explicant. Ergò è contrario  $\square$  pro  $\square$  posita Ecclesiæ munitionem & populi collectionem significabit. Sed in dubijs non diu immoremur.

L I.

Regnum  
Christi  
Am. plum.

Describit autem Propheta his verbis principatum Christi: *ab amplitudine: Multiplicationi: Principatus &c.* Hic antea angustis terminis terræ Canaan erat inclusus: in Novo T. est dilatandus & amplificandus accessione aliarum gentium. Sub Veteri Testamento fuit perquam tenuis & exiguus, ut rectissimè à Christo comparatus fuerit grano sinapis, quod omnium seminum minimum est, Matth. 13. 31. Sed in Novo T. ita crevit, ut olèrum maximum sit factus, ita ut volucres sub ejus ramis nidulari potuerint. In Veteri T. fuit similis fermento, quod inditum in farinæ modios aliquot, nihil ferè æstimatur, postea tamen totam massam fermentat Matth. 13. 33. Ita Principatus Christi à tenuissimis principijs inchoatus, insperatos habuit progressus, & totum orbem brevi fermentavit.

L II.

Pulchrè Terullianus lib. contra Judæos: Salomon, inquit, regnavit, sed in finibus Judæ tantum à Dan usq. ad Bersabee: Babylonijs & Partibus regnavit Darius, non ultra: Egyptijs Pharaos, sed illi tantum Nabuchodonosor ab India

ad usq; ad Æthiopiā habuit regni sui terminum. Alexander Macedo nunquam Asiam universam, & ceteras regiones, postquam devicerat, tenuit. Sic Germani, Britanni, Mauri, Romani, imperij sui habent terminos. Christi autem nomen & regnum ubiq; pertrahitur, ubiq; creditur, ab omnibus gentibus colitur, ubiq; regnat, ubiq; adoratur, omnibus æqualis, omnibus Rex, omnibus Iudex, omnibus Deus & Dominus est. De amplificatione hujus regni prædictum fuerat Ps. 2. 8. Ps. 72. 8.

### LIII.

Reges mundani solent vocari *Augusti*, id est, multiplicatores imperij, licet frequentissime magis diminuunt imperium, quam multiplicent. Germanicè *Altherr mehrer des Reichs*. Christus non titulum sine re gerit, sed imperij sui pomeria finesq; longè latèq; extendit.

### LIV.

II. Describit principatum Christi à *pacato regimine*: *pacis non 2. pacatum. erit finis*. Mundani Principatus & regna parantur armis, armis dilatantur. At in Principatu Christi viget pax, uti non iste paratur armis, sic nec armis defenditur. Joh. 18. 36. Reconciliati cum Deo per Christum sumus, & facti amici ejus. Cur idcirco cum ipso pacem non habeamus? imò, pacato & tranquillo simus animo, non mententes posthac Dei vindictam & damnationem? Tam egregios autem pax ista habet effectus: Tranquillitatem inducit menti, lætitiā in cordibus nostris commovet, confidentes & magnanimos nos facit, ut Deo toti confidamus, illi nos & nostra omnia committamus, nec dubitemus, quin nos nostrasq; actiones sit prosperaturus.

### LV.

III. Describit principatum Christi à *perpetuā duratione*. *Non 3. eternum. erit finis*. Aliorum principatum & regnorum certæ sunt *ætiologiæ*, illa sunt caduca; sed de Christi principatu & regno hinc dicitur, quod non sit finem habiturum, quod futurum sit immune ab omni interitu. Alia regna vel mole suā ruunt, intestinis dissidijs concutiuntur: ab uno populo ad alium transferuntur, quod plurimis exemplis declarare possemus: Sed principatus seu regnum hoc est æternum: stabit in secula, nec dissipabitur. *mes alteri populo tradetur.* Quemadmodum enim Princeps

C 3.

noster



nosler est æternus Deus: Ita communicat etiam Principatui suo æternitatem.

LVI.

Hæc æternitas 1. ad totum Ecclesiæ corpus pertinet, quod interdum ita quidem coarctatur, ut vix appareat: non tamen potest totum deleri, Vide Pl. 89. 36. & seqq. 2. ad singula Ecclesiæ membra, quæ renata ex incorruptibili semine circumgestant secum beneficio spiritus, qui in ipsis est, vitam cœlestem & sempiternam. Conf. Rom. 8. 10.

LVII.

4. Super solium David. IV. Describit principatum Christi à sua sede. Super solium David & super regnum ejus. Alij ad præcedentia verba referunt: super solium Davidis erit pax perpetua. Hec. Pintus per solium David ejus labores intelligi posse ait, quos Christus sustinuerit: & eam ob causam judicat dici, super solium, non in solio, ut abundantia dolorum significetur. Nos Angeli explicationem præferimus. Luc. 1. 32. Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit super domum Jacob in æternum. Undè sub verbis Prophetæ quidam subintelligunt verbum *sedebit*. Sedere autem super solium, est regiâ autoritate præditum esse, & regia officia præstare 1. Reg. 1. v. 13. 17. 20. 24. C. 2. 12.

LIX.

Dixerat antea Prophetæ de puero seu filio, qui imperium sit habiturus: jam consequenter de Metropoli & throno Regni ejus auditores erant monendi: idcirco Regiam hanc sedem indicat, illam scilicet fore sedem & Regnum David.

LIX.

Dicetur infra Quæstione V. non esse Christum mundanum Principem seu Regem: ideoq; hæc non de mundani throni Davidis occupatione sunt intelligenda, sed de spirituali sede, quam primum fixit in Judæâ Hierosolymis, postea per totum orbem dilatavit.

LX.

5. stabilitur in judicio & justitia. V. Describit Principatum Christi à legitimâ ejus administratione: Ne disponat & stabiliat ipsum in judicio & in justitia. Alij: ut stabiliat & fulciat. Pulcherrima gubernandi forma & modus est, si in judicio & justitiâ principatus & regna disponantur, si scelera punian-

peniantur, & præmia constituentur bonis. Sic per similitudinem, à terrenis imperijs desumptam significat, modo æquissimo, & ratione omnium perfectissimâ Christi principatum & regnum gubernari debere, & politica hæc officia ad Christum accommodat. Conf. Pl. 72. l. 2.

#### LXI.

Eo ipso, quod regnum Davidis disponendum & stabilien- dum esse dicit, innuit, illud jam esse indispositum & ruinosum, opusq; habere bono Rege, qui ejus accuratissimam curam habeat. *David* bellis & victorijs, *Salomon* pace illud stabiliverant: Sed sub *Rehabeamo* iterum dissipatum & divisum erat, & pedetentim ad ruinam se flectebat: Christus verò spirituale suum regnum disposuit & fulgivit in judicio & justitiâ, docendo Evangeliam, annuncians remissionem peccatorum, vocando homines ad penitentiam, consolando afflictos, reprimendo hostes, Ecclesiam tuendo & propagando: quæ dispositio & stabilitio reservabatur tempori Christi, qui fideliter hoc præstitit.

#### LXII.

Disponit adhuc, quando in hac vitâ nos cumulat bonis & beneficijs temporalibus & æternis, quando à morte, Satanâ & inferno nos defendit, ne ab ipsis absorbeamur & pereamus; quando omnes Ecclesiæ hostes deprimat, & justâ Nemese afficitur erga illos, qui nobis nocent, quâ in parte nullum Monarcham sibi similem habet: quando suis benefacit, honore afficit, peccata remittit, reconciliat eos patri, induit suâ justitiâ, facitq; ut filij Dei fiant, & cohæredes vitæ æternæ. Imò plenissimè omnium disponet & stabiliet regnum suum in judicio & in justitiâ in alterâ vita veniens judicatum vivos & mortuos. Matth. 24. 44. 2. Cor. 5. 10. Verè igitur regni Christi nervos esse *judicium & justiti- am* Propheta asserit.

#### LXIII.

Clausulam illam: *ab hoc tempore usq; in perpetuum*: nonnulli ad perpetuitatem principatus seu regni Chr. referendam esse existimant, quod hoc modo à mundanis regnis distingui volût. Verùm rectius refertur ad verba, quæ immediatè præcedunt, ut discrimen faciat inter leges & edicta Principum & Regum mundano-

rum, quæ ad breve tempus, sæpe numero valent, cum è contrario  
iudicium Dei, ejusq; justitia nunquam finem fiat habitura.

LXIV.

Quod quidam dicunt, Heb. עולם non significare infinitum  
tempus, sed finitum, illud rectè explicandum. Non negamus  
hanc vocem pæssim longum tempus significare, sed finitum,  
ut Exod. 21. 6. Servus nolens septimo anno exire servitio, jubetur  
servire עולם in seculum, quod Levit. 25. 41. ad jubileum usq;  
restringitur. Samuel usq; in seculum manere debuit in conspectu  
Domini 1. Sam. 1. 22. id explicatur v. 28. de toto vitæ ipsius tempore:  
in qua significatione Germani etiam vocabulo Ewig utuntur:  
Solich den Ewig soches leyden oder thun / id est, dum vivo.  
Verùm cum *Luthero* distinguimus tom. 7. Jenens. German. p. 37.  
inter עולם Dei & hominum. Illud infinitam æternitatem signi-  
ficat, & tum cognoscitur, quando aliquid, quod eandem asser-  
tionè illius עולם confirmat, additur, ut: Dan. 7. 14. potestas ejus  
potestas æterna. In his Propheta nondum acquiescit, sed addit:  
quæ non auferetur. Undè infinita æternitas ibi denotatur. Sic hoc  
loco Propheta dixerat: Multiplicationi & pacis non erit finis: quod  
jam ulterius confirmat adjectione vocis עולם, ut omnia, quæ  
hic ponuntur, de infinita æternitate intelligenda esse monstret.

III. DE CAUSA CUR CHRISTUS  
fuerit exhibendus.

LXV.

**S**ubijcit Propheta tandem Epiphonema, quo concionem de ex-  
hibendo Messia concludit, causamq; indicat, cur sit exhiben-  
dus. Zelus lehoræ exercituum, inquit, faciet hoc. In Heb. est זֵלוּס Ze-  
lus Je-  
boæ.  
lus, in regimine, à radice זָלוּ Zelotypus fuit, amulatus fuit. Longè  
plus est in verbis, quàm si vel potentia vel sapientia vel bonitati  
Dei tribuisset, quod filius humano generi esset dandus. Nam  
Zelus hæc omnia includit, siquidem est amoris affectio, excitata  
lingu-

Singulari quodam Spiritu, ad defensionem rei alicujus impellens,  
omniq; conatu studium in rem amatam declarans.

LXVI.

Hoc Zelo Deus impulsus filium suum ad nos misit, ut opus  
redemptionis absolveret, nosq; in libertatem pristinam restituere-  
ret. Et, quia conjunctus est Zelus cum odio & indignatione,  
adversus eum, qui rem amatam à nobis alienat, voluit Prophe-  
ta hoc vocabulo etiam significare iram, quâ hostium nostrorum  
causâ flagret Deus, quos evertere & in nihilum redigere velit.

LXVII.

Aliàs non tales affectus in Deum cadunt, ut ipsi propriè  
Zelus competat: sed per *ἀνθρώπων* tribuitur. 1. quando  
amor declarandus, quo Deus erga nos afficitur, quali sponsus  
erga sponsam, maritus erga uxorem: Inter hos est iste Zelus,  
ut ille consuetudinem hujus cum alio ferre nequeat: sic Deus  
non vult aliam sponsam suam rapere, cum illâ scortari, vide  
Zach. 8. 2. 2. Quando significanda vindicta, quâ Deus impios  
corripere vult ob oppressionem & tyrannidem, quam pij ab im-  
pijs patiuntur. Sophon. 1. 18.

LXIIIX.

In Redemptione generis humani uterq; Zelus concurrit:  
*Amoris*, qui ipsum ad Zelum commovit, ut nos è potestate Satanae  
& mortis eriperet: *vindictæ*, ut poenam ab hostibus nostris sume-  
ret, illatamq; nobis injuriam vindicaret. Quare omnium vehe-  
mentissimus Zelus hoc in opere conspicitur. *Faxit Deus, ut & nos*  
*vero Zelo in asserendâ & quarendâ Dei gloriâ perpetuò ardeamus.*

QUESTIONES CONTROVERSÆ

*ex hoc textu.*

QUESTIO I.

*An Propheta loquatur de Messia,*

*an verò de alio.*

**I**Nsignis hic locus *Esaie* valdè à *Judeis* hodiernis, *Messia* nostri  
hostibus, impugnatur, qui varia effugia quaerunt, quibus de-  
monstrent,

D

monstrent, de alio quopiam, non de Messia illum esse intelligendum. Abeunt autem, ut in re falsâ solet, in diversas opiniones. Alij enim quæ hîc ponuntur, de solo Ezechia, Rege Judæ intelligunt, & ad ipsum omnia accommodant. Alij de Ezechia quidem hunc locum intelligunt, sic tamen, ut Deo patri nomina, quæ huic filio assignantur, tribuant, excepto ultimo, quo idem Filius Princeps pacis dicitur. Alij tandem de Filio Prophetæ Esaiæ explicant.

*Contra Judæos primi ordinis hæc argumenta nectimus:*

1. ab antiquissimorum Rabbiorum resurrectione. Apud Christianos magno in pretio sunt veteres Rabbinæ, si quando explanationis gratiâ quid afferunt, quod Articulum aliquem fidei confirmet. Nec immeritò: Exinde enim certissimè probari potest, nostram doctrinam fuisse priscais Judæis non incognitam, & reliquias quasdam divinæ veritatis ex Prophetarum scholis apud ipsos manifeste. Longè majori in pretio sunt apud Judæos veterum Rabbiorum & Talmudistarum scripta, ita, ut non dubitent æquare illa scripturæ sacræ, & omnia, quæ continent, pro immotâ veritate amplecti. Plurimi autem ex illis hunc locum de Messia interpretati sunt. Audiat R. Ionathan *ben Eliezer* filius, qui tantæ apud illos est autoritatis, ut fingant, si ipsum, scripturæ interpretationi vacantem, musca vel aliud volatîle impedire voluerit, illicò absq; ullâ vel ipsius, vel chartæ læsione cœlis fuerit extracta: imò quod Angeli è cœlis advolarint, auscultandi gratiâ, quando studijs operam dedit. Hic Ionathan verba hæc Prophetæ sic exposuit in Chaldaico Targum: Dixit Propheta domini Iuda: Ecce puer natus est nobis. Filius datus est nobis, & suscepit legem super se, ut servet eam: Et appellatum est nomen ejus à facie mirificantis consilium, Deus, Fortis, Permanens in æternum, Messias, cujus pax multiplicabitur super nos in diebus ejus. Refert Galat. 1. 3. c. 19. & D. Helvicus de Chaldaicis Bibli: paraphras. p. 37. Rabben *Hacados*, quem Judæi Magistrum nostrum sanctum nuncupant, in libro quem Galæ *Razeia*, id est, revelatorem arcanorum denominavit, sic habet: Quia Messias Deus & homo futurus est, vocatum est nomen ejus *Imin* vel, quod est, Nobiscum Deus, in corpore scilicet & carne nostrâ *Item*: quis Deus est, mirabilis consiliarius dicitur. Excogitavit enim mirabile consilium salvari omnes animas, que propter Adæ peccatum condemnatæ sunt, nec possunt nullo pacto salvari, nisi Rex *Messias* mortem acerbissimam, multaq;

multaq; tormenta subeat. Et quia ipse est omnis fortitudo, Deus fortis vocatur: Item, quia ipse est æternus, pater sempiternus dicitur. Item, quia in diebus eius pax multiplicabitur, princeps & pax appellatur.

In Bereschit Rabba super Gen. 41. 44. Scriptum est Saphonia 3. cap. (v. 9) Quoniam tunc convertam ad populos labium electum, vel mundatum, ut invocent omnes. nomen Domini, & colant eum humero uno: Non est autem nomen Domini hic, nisi Rex, Messias, sicut dictum est Esa. 30. c. Ecce nomen Domini veniet de longinquo. Et cur dictum est: Et colant eum humero uno? idè certè, quia erit principatus super humerum ejus. R. Josef Galileus in Echa rabbei, id est, in expositione super planctum Ieremiæ: Nomen Messias vocatum est  $\text{D}\Psi$  pax, sicut dictum est Esa. 9. Pater sempiternus, Princeps, pax.

Hi de Messia testificati sunt, & præsens dictum de ipso intellexerunt. Aut igitur verum dixerunt, aut testimonium falsitatis. Posterius Judæis est absurdum: Magistros namq; Hebræorum dicunt errare non posse, nec Talmud mentiri. Ergò admittant prius, quod hic locus de Messia non de Ezechia sit intelligendus.

2. à scopo Prophetæ. Scopus illius erat, vaticinium suum, quod de liberatione Judæorum ab hostibus dederat, singulari quodam novoq; signo confirmare, ex quo colligere possent omnes, certissimam fore illam Prophetæ de liberatione promissionem. Quod si Ezechia vel nativitatem vel regni ipsius felicitatem hic tantùm significasset, utiq; nihil novi, nihil singulare significasset. Ipse enim secundum naturæ cursum ex *Achas* patre & *Abi* matre natus est 2. Reg. 18. I. 2. Quare de illo non hoc loco Prophetæ tam insignem concionem instituit, nec ipsum, tanquam rei mirabilis signum, populo proposuit.

3. à textus connexionem. Non dicit Prophetæ: Puer *Achas* nobis natus est, & filius *Achas* nobis datus: sed sine ullâ additione inquit: Puer nobis natus & filius nobis datus. Ex quibus liquet, Prophetæ hic sermonem esse de tali puero & filio, qui ipsis antea esset notus, & de quo scire possent Prophetam loqui. Aliàs ineptè & absq; sensu simpliciter puerum & filium appellasset. Talis verò puer & filius erat Messias noster Christus, illum patribus promissum, puerumq; & filium futurum Judæi noverant. Si de

Ezechiâ locutus Propheta fuisset, necessariò debuisset addere, de filio *Achas* se loqui, de quo omnia hæc intelligenda essent. Unde iterum conficitur, non de Ezechiâ, sed de *Messiâ*, nempè Christo, verba Prophetæ esse intelligenda. Coniunge th. 9.

4. *ab analogiâ fidei.* Quæ huic puero & filio tribuuntur, non possunt *Ezechie* tribui. Quâ specie pater aternitatis is dici posset? quomodo ipsi principatus, incrementum & pax, cui non sit finis, iudicium & iustitia aterna possent assignari? Regnum certè ejus ante tot secula è medio est sublatum. Ergò miserum cavillum est, quòd hunc locum de Ezechiâ Judæi intellectum velint.

5. *à vaticiniorum proprio.* Illa sic comparata esse debent, ut verum solatium afflictiis mentibus suggerant, nec in angustijs homines relinquunt prioribus. At quomodo Propheta efficaciter populum Judaicum consolari potuisset, si à re communi & vulgari duxisset argumentum? nonne iste objecisset alios etiam datos esse filios, per quos ab hostibus nõ potuisset liberari. Ergò nec per huc istud fieri posse, nisi singularis aliquis filius esset, & singulari modo supra naturæ cursum daretur. Voluisse autem Prophetam imbecillitati suæ gentis hoc vaticinio consulere, & efficacissimam consolationem ob oculos ponere, quis negabit?

6. *à temporis circumstantiâ.* Prophetæ vaticinium de nascituro hoc filio sine dubio adhuc erat futurum. Nam futuram liberationem futuro signo voluit confirmare. At verò nativitas *Ezechie* non tùm adhuc erat futura, sed præterita. Etiam si enim hoc vaticinium ponatur sub initium regni *Achas*: tamen necessum est, *Ezechiam* jam tum ad minimum novem annorum adolescentem, fuisse, cum hæc concio haberetur; siquidem anno 25. ætatis regnare cœpit, 2. Reg. 18. 2. Sedecim verò annos regnavit pater *Achas*, 2. Reg. 16. 2. 2. Paral. 28. 1. Si igitur à 25. sumamus 16, remanent novem, quam ætatem ad minimum *Ezechias*, quando hæc Propheta vaticinatus est, habuit.

7. *ab Ezechia Regi historid.* Narrat quidem scriptura, singulare quoddam liberationem populo Judaico tempore *Ezechie* contigisse. Cum enim *Sennacherib Rex Assyriorum* Hierosolymam obsideret, piusq; Regem *Ezechiam* affligeret, misit Deus noctu Angelum, qui percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. 2. Reg. 19. 35. Istud autem miraculum non *Ezechia* tribui-

tribuitur, ut ipse nomen aliquod indè sit adeptus: Sed adscribitur Angelo Domini, qui exercitum hostilem sic profligaverat.

Opinio Iudæorum *secundi ordinis*, qui hæc nomina Deo Patri tribuunt, ultimum tantum *Ezechia*, textu sic verso: *Et vocavit nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, pater æternitatis, principem pacis* &c. supra in *Analyfi* profligata est *th. 19.* ubi vide.

Nec de Iudæorum *ordinis tertij* opinione, quæ hunc *filium esse* Propheta dicunt, quicquam addere necessum est. Nam non dicit Propheta: *Filius meus*. Sed absolute loquitur; nec ullibi legimus, ex semine *Esaie* talem excitatum esse filium, qui populi Iudaici liberator fuerit, vel etiam titulis hoc loco positus, nomineq; *Immanuelis* c. 7. 14. c. 8. 8. potuerit insigniri.

*Precipua argumenta, quæ Judæi urgent, hæc sunt:*

1. Quicumq; liberationis ab hostibus jamjam futura vult dare signum, ille non tale dare potest, quod elapsis tandem plurimis annis, contingere debuit, quale erat mirabilis *Mesiae* natiuitas. Atqui Propheta populo Dei liberationis ab hostibus jamjam futura dare signum voluit. Ergo non tale dare potest signum, quod plurimis demum elapsis annis contingere debuit.

Resp. signa aut sunt *προνοητικὰ* prænuntiativa, aut *ἀναμνηστικὰ* memorativa: Illa dantur respectu eventus futuri, ut quando *Iud. 6. 37.* Gedeoni datur signum futurae victoriae adversus *Midianitas*; hæc dantur respectu præteriti, ut quando *Mosi* datur signum vocationis suæ *Exod. 3. 12.* quod deberet super montem istum, in quo antea Deum loquentem audiverat, ipsi immolare. Tale signum quoq; *ἀναμνηστικόν* Iudæis dabatur futurae liberationis, quod *Mesias* promissus post certò deberet exhiberi. Omnis salus populi ab hoc puero pendebat, imò ad ipsius usq; adventum Regnum corporale Iudæis conservandum erat: indè ergò rectè Propheta concludit, fore, ut liberentur ab hostibus suis, cum promissus ille *Mesias* nondum esset natus, qui antequam planè dirueretur stirps *Davidica*, in lucem edendus erat.

2. Dicunt, *Mesiam* nostrum dici *Iesum*, apud Prophetam verò hoc loco alijs nominibus insigniri, & c. 7. vocari *Immanuelem*.

Resp. 1. Distinguendum esse inter nomina nature, officij & impositionis. Nomen *Iesu* est nomen impositionis; reliqua sunt vel nomina nature vel officij. 2. Quando Propheta dicit, fore *Mesiae* nomen



nomen *Immanuelem*, tūm non vult, quod iisdem syllabis in circumcissione Christus sit appellandus, sed quod reipsā talis sit futurus, ut hoc nomen de eo prædicari possit. Sic de ipso etiam alia nomina naturæ & officij prædicantur, quæ in circumcissione non accepit.

3 Qui de *Esaïæ* filio locum intelligunt, hoc urgent, quod *Prophetissæ* mentio fiat c. 8. 3. ad quam *Propheta* accesserit.

Resp. 1. Accessit eam cum testibus viris sanctis: Quare simplex accessus, non concubitus intelligitur. 2. Testes, qui introducuntur, tempore *Esaïæ* non vixerunt, ut in *Talmud* lib. *Maccob* cap. ult. habetur, ubi hic *Urias* dicitur esse *Urias* ille, cujus *Jerem.* 26. 20. mentio fit, & *Zacharias* dicitur ille, qui in templo secundo *Propheta* vit. Idcirco hæc in visione contigerunt, & intelligenda sunt de *Nativitate* Christi prævisâ, quam *Propheta* in *Spiritu* virgini *Mariæ* annuntiavit, id quod etiam *Articulus* demonstrativus הַיּוֹנִיָּה in *תְּנִינָה* accessi ad illam *prophetissam*, cujus scilicet facta erat mentio c. 7. comprobat.

## Q U Æ S T I O II.

### *An Christus sit verus & æternus Deus.*

Q uando contra *Diabolicum Photinianorum* dogma de Christo pugnamus, ejusq; veram *Divinitatem* ipsis demonstramus, non Q. est: An Christus sit *divinus* quidam *Homo*, qui aliquo cum respectu, ob eximiam nempe similitudinem cum Deo, vel officij singularis præstantiam, *Deus* nuncupetur; sicuti Deum alicujus nonnunquam illum dicimus, qui alteri præest, aut prodest, *Dei* instar. Confer *Exod.* 4. 16. c. 7. 1. Huic enim licet nomen *Dei* tribuatur: non tamen in propriâ significatione tribuitur, ut propterea *verus & æternus Deus* dici possit. Sed hoc unice inter nos & illos quæritur: *An Christus sit ille verus Deus, qui est essentia simplicissime una, immutabilis, æterna, immensa, omnipotens, sine ullo defectu, ac sine ullâ alieni boni participatione.* Talem planè Christum dicimus, quando ipsum Deum vocamus. Contra *Photiniani*, in hoc sensu Christum Deum esse negant, & distinguunt inter Deum perfectissimâ ratione sic dictum, & inter Deum certo quodam respectu sic dictum, inter verum Deum, qui naturâ & essentia

tia

fiā talis, & qui officij, dignitatis & potestatis ratione Deus dicitur, siue in tempore ad diuinitatem euectus est. Pro nostrā sententiā ex præsentī textu, & collatione ejusdem cum Psal. 2. 7. (confer th. 9.) hæc militant Argumenta :

1. *Quicumq; est Filius Dei per æternam, immediatam, & essentialē generationem ex Deo, ù eidem æterno Deo patri est cōessentialis, siq; æternus & omnipotens Deus.* Connexio patet: Generantis enim & generati eadem est natura & essentia. Qualis est generans, talis etiā generatus. *Atqui Christus est Filius Dei per æternam, immediatam & essentialē generationem ex Deo.* E.

Major est limitata quintupliciter. 1. Dicimus Filium Dei. 2. per generationem. 3. eamq; æternam. 4. immediatam. 5. & essentialē. Hæ quinque conditiones debent conjunctim sumi, non separari, ut vox Filij Dei distinguatur à filijs creationis, qui sunt Angeli. Job. 2. 1. c. 38. 7. à filijs ministerij, qui sunt Magistratus. Psal. 82. 6. à filijs generationis ἐκγεσσωσ & secundum qualitatem, qui sunt homines pii, Rom. 8. 14. 15. Gal. 3. 26. 1. Pet. 1. 23. Jacob. 1. 18.

Minor probatur ex præsentī loco, qbi cōferatur cum Psal. 2. 7. ubi *immediatam, æternam, & essentialē* filij Dei generationem describi probo hoc modo: *Quicumq; immediatè est filius Dei, ab æterno genitus, & divino honore afficiendus, ille est filius Dei per immediatam, æternam & essentialē generationem ex Deo: Christus est &c.* E. Minor iterum probatur. 1. Quia pater dicit: *Filius meus es tu: hodie genui te.* Quæ verba non de mediata generatione, quæ hominibus cōpetit pijs per S. S. Fidem, Verbum, &c. intelligi posse Autor Epist. ad Heb. c. 1. 5. testatur, quando negat Christum eo modo filium Dei dici, quo Angeli, nedum homines, tales dicuntur. Unde *immediata* generatio probatur.

2. *Genitus est hic Filius Dñi hodie.* i. ab æterno. Nam licet *Hodie* sit particula temporis, cum de creaturis, quæ sunt in tempore, enuntiatur: tamen, quando de Deo usurpatur, æternitatem denotat. Ratio: 1. Quia illa, quæ à Creaturis ad Deum referuntur, prius purganda sunt ab omni imperfectione, ut habet Canon Theol. & tum demum id, quod perfectum relinquitur, Deo tribuendum est. Sic vox *Hodie* notat præsens, & excludit præteritum ac futurum: cōnotat etiā successione[m] temporis. Hæc E. imperfectio, temporis scilicet

successio.

*successio* prius repurganda, & tum quod perfectum relinquitur, merum scilicet *præsens* absq; ullâ *præteriti* ac *futuri* alteratione Deo tribuendum est. Proinde per vocem *Hodie* notatur ibi nil nisi mera æternitas. 2. Quia Deo nihil hosternum aut crastinum; sed perpetuum est *Hodie*: mille anni ipsi sunt unus dies, omniaq; *præsentia*, nihil *præteritum* aut *futurum*. Nobis actiones quædam sunt *præsentes*, quædam *futuræ*: quia in tempore sumus & mutamur. At Deus non est in tempore & non mutatur. Quare ipsi *Hodie temporis* non potest tribui, sed *Hodie æternitatis*, quod significat *præsentem* durationem, quæ semper *præsens* est, indivisibilis & immobilis, complectiturq; omne tempus, *præsens, præteritum & futurum*. Hæc ad probandum *æternam* generationem.

3. Hic *Filius* divino honore afficitur: quia in ipsum iubemur collocare nostram fiduciam. v. ult. Undè liquet, esse eum *essentialem* Dei filium, utpotè cui hic honor tantum competit.

II. Argumentum. Quicumq; dicitur יהוה אלל Deus fortis robustissimus, ille est æternus & verus Deus. Atqui Christus talis dicitur. E.

Major stabilitur ex cap. 10. Esa. v. 21. ubi Propheta: Residuum, inquit, converteatur residuum Iacob, יהוה אלל אלל ad Deum fortem robustissimum. Tribuitur igitur h. l. dictum nomen æterno Deo, qui ibidem etiam Dominus Sanctus Israël dicitur. v. 20. ad quem reliquæ Israël's verâ pœnitentiâ sint reversuræ. Minor est in textu, Firma ergò stat conclusio.

III. Quicumq; est pater æternitatis, & cuius imperium itemq; pax nullum habent finem, ille est æternus & verus Deus. Atqui Christus est pater æternitatis, cuiusq; imperium & pax nullum habent finem. E.

IV. Quicumq; disponit & stabilie Regnum suum in iudicio & in iustitiâ ab hoc tempore usq; in perpetuum, ille est verus & æternus Deus. Vide ih. 60. 61. 62. Christus hoc facit. E.

Videamus autem, quibus phalangibus impia gens æternam filij Dei generationem oppugnet. Ebedinus ad c. 16. 16. Matth. in Explic. Loc. Script. Notissimum est, inquit, multa vocabula tam Deo quàm hominibus passim tribui: inter quæ illud discrimen & ù delectus est habendus, ut quæ perfectionem & excellentiam significant, Deo propriè, hominibus autem impropiè adscribi; contra, quæ infirmitatem & vilitatem denotant, propriè

proprie hominibus, improprie Deo tribuiscimus. Cum igitur generatio & Deo  
& hominibus tribuatur, videndum, utrum generatio quiddam excellens &  
præclarum sit, ut Deo proprie possit convenire. Primo igitur constat, cum tres  
sint species, seu facultates seu potentie animæ, quæ vegetativam, sensitivam  
& rationalem vocamus; generationem esse officium & proprietatem animæ  
vegetativæ, quæ inter omnes animæ species ultima & vilissima est. Præterea,  
generatio communis est homini cum brutis: ac nullum homini excellentiam  
aut prærogativam asferre ea possunt, quæ ipsi, cum animalibus, rationis destituti,  
communis sunt. Si autem hominem generatio non nobilitat: excellentiorem  
homine substantiam multo minus. Deinde, consideremus ipsos homines, videmus  
nullum ita esse sordidum, mutilum, mancum, ita sceleratum, & stolidum, cui  
generatio negata sit, adeo ut in veteribus etiam & incestuosis conjunctionibus gene-  
ratio propagetur. Quæ E. dignitas in generatione, quæ sceleratissimis quibusq;  
vilissimis & stultissimis concessa est, inesse potest? Quarto, adhuc conuertamus  
oculos ad cætera animantia, certe ut quodq; ex illis abjectissimum & infirmissi-  
mum, eò fecundius esse deprehenditur. Quid est foedius porco? & quid illo fecun-  
dus? quid sordidius muribus? ac illi numerosissimos pariunt fetus. Quid infir-  
mum & pluribus periculis obnoxius leporibus & cuniculis? illi verò examina  
pariunt: passeris, gallinæ & his similes, quia & brevis ævi, & injuriæ multo-  
rum sunt expositæ, plurimos generant.

Contra, ut quidquam generalissimum & vivacissimum est, rarius & pau-  
ciores parit. Elephas, cum diutissime vivat, & proximè ad naturam, ingeniumq;  
hominis accedat; quàm pauca & raro pariat, vel illud argumento esse potest,  
quod decennium uterum ferre credatur. Leo Rex ferarum, nunquam nisi se-  
mel parere à quibusdam putatur: & Aristoteles ut plurimum duos & non supra  
quinq; vices edere ferum scribit. Iam verò quæ æterna sunt, ut Angeli & beatæ  
mentes, nunquam pariunt, quin ipse Christus affirmat, pios post resurrectionem  
in illo caelesto & beato regno nullas nuptias celebraturos, neq; liberos suscepturos.  
Scimus autem tunc ab omni infirmitate & sorditie expurgatos iri homines. E.  
cum etiam generatione priventur, apparet generationem infirmitatis & morta-  
litate esse notam. Ex quibus apparet, quàm imprudenter & pudenter agant,  
qui rem hanc vilem, sordidam, & infirmitatis certissimum argumentum æter-  
no rerum omnium Creatori competere proprie contendunt, & in illo essentialiam  
ac physicam generationem requirunt. Nam Deus successore indiget? num anni  
vitæ ejus aliquandò deficient. Huc usq; Eniëdinus.

In hoc impio discursu plurima improbamus. I. Quod ex ra-  
tione humanâ de hoc summo & ineffabili mysterio indicet, ac

E

si illa

Illa Dictatrix esse debeat rerum divinarum. Myſteria hæc ſunt  
 ſupra captum rationis humanæ poſita. 1. Cor. 2. 14. E. de illorum  
 vel veritate vel falſitate ratio judicare non debet. Ratio huma-  
 ne poſt lapſum eſt *excacata*. Eph. 4. 18. E. periculoſum eſt ex illâ  
 de tantis myſterijs dijudicare. Ratio humana eſt *captivanda ſub ob-  
 ſequium Chriſti*. 2. Cor. 10. 5. E. partes dictatorias ipſi tribuere non  
 licet. 2. Quod *Generationem Phyſicam* cum *divinâ* confundat, & ea-  
 dem, quæ illi tribui ſolent, huic etiam tribuat. Quis noſtrum  
 tam abſurdus eſt, ut à conditionibus & circumſtantijs genera-  
 tionis Phyſicæ argumentetur ad generationem planè divinam &  
 ſingularem? Hæc facta eſt *ὄρα αἰῶνος ſine paſſione, ἀχρόνιας ſine tem-  
 pore, ἀπέυρους ſine fluxu, ἀχωρίως ſine ſeparatione, ἀανάκλιτος  
 citra omnem alterationem*. Quis hæc ad generationem Phyſicam  
 applicet? 3. Quod vocabula, quæ Deo & creaturis applicantur,  
 non prius ab omni imperfectione purget, quàm Deo tribuat, ut  
 jubet *Canon Theol.* Sic generatio hominibus tribuitur, tribuitur &  
 Deo. Quicquid imperfectionis in generatione hominum repe-  
 ritur, id omne removendam, & quicquid perfectionis remanet,  
 id generationi Dei tribuendum. Ex. gr. In generatione humana  
 imperfectionis eſt, quod non tota ſubſtantia communicatur fi-  
 lio, quod generatio ſit *γεννητός*, quod geniti ſunt extra paren-  
 tes, & ab illis ſeparati &c. Tales imperfectiones à generatione  
 divinâ removendæ, idq; ſolam huic generationi modo perfectiſ-  
 ſimo tribuendum, quod eſt perfectionis. Perfectionis autem  
 eſt, quod qui generat, ſibi naturâ ſimile generet, & quod è ſua  
 ſubſtantia generet. E. hæc generatio Deo eſt tribuenda: ulterius  
 procedere non debemus; ſed digitū ori imponamus, nec ſumma  
 illa myſteria decempedâ rationis metiamur. Voluerunt pij pa-  
 tres hoc ſummum myſterium ſimilitudine generationis lumi-  
 nis in aëre illuſtrare. *Lumen in aëre* perfectum eſt, & tamen ſemper  
 à *Sole* q. gignitur & emanat: Sic Deum patrem ab omni æternitate,  
 in qua unum eſt *Hodie*, unum inſtans, unum nunc, unum ſta-  
 bile, & perenne præſens, filium gignere, genuiſſe, & ſemper ge-  
 neraturum eſſe. Sicut *Sol* ſemper ſpargit & producit lumen, ſic  
 generationem hanc non tranſire, fluere & præterire, ſed ſemper  
 eandem numero in Deo permanere, ut ſemper gignat filium,  
 Verum ſi datus ſimile, non eſt ſingulare, ſi exemplum, non eſt myſterium.

4. Quod

4. Quod non simpliciter credat Scripturæ, quæ testatur Deum ab æterno Filium genuisse, & in illa simplicitate pia non æquiescat.  
 5. Quod ex eo, quia τὸ δῶρον non assequimur, ipsum ὄν neget, quod Deus ad gloriam suam & nostrâ salutem nos tantum scire voluit.

Ad illa, quæ de vocula *Hodie* supra diximus, quod æternitatem significet, instant; explicari illam Act. 13. v. 33. *de die resurrectionis, per quem Christus manifestatus & declaratus sit omnium Deus, non de æternitate.* Resp. 1. Distinguendo inter sensum *literalem* horum verborum, & *literalis* istius sensus *usum*. Apostolus d. l. accommodat hoc dictum ad resurrectionem: interim æternam filij Dei generationem non negat: sed illum ipsum, de quo David testatur, quod ab æterno à patre sit genitus, asserit per resurrectionem in tempore hominibus Dei Filium esse *declaratum & manifestatum*, id quod etiam facit Rom. 1. 4. Scopus enim ipsius est demonstrare, quod Christus à morte teneri non potuerit: illud hoc Argumento tertio facit: quia *sit æternus Filius Dei.* 2. Expresse dicitur v. 32. quod Deus *adimpleverit* (ἐνπλήρωσε) promissionem patribus factam, excitato Jesu, quo aperte manifestationem & declarationem filij Dei innuit. 3. Argumentum igitur invertimus: *Quicumq; per resurrectionem declaratus est Dei filius, à patre ab æterno genitus, ille est certe ab æterno genitus. Christus per resurrectionem declaratus est Dei filius, à patre ab æterno genitus.* E. Major patet: Nisi enim prius ab æterno à patre genitus fuisset, nunquam talis declarari potuisset.

### Q U Æ S T I O III.

#### *An Christus sit verus Homo.*

**I**mpugnatus fuit variè hic Art. de vera Humanitate Christi. Alij *Φάντασμα* seu speciem corporis Christum assumis-  
 se purarunt, atq; hinc omnes Christi actiones καὶ δόξαον & *φασαίαν* factas esse statuerunt, ut *Manichæi*. Alij Christum carnem non habuisse nobis consubstantialem dixerunt, sed aliam, aut ex essentia Dei patris genitam, aut formatam ex materia vel cœlesti, vel siderea, vel elementari. Undè *carnem* purarunt è cœlo in terras delatam, ut *Valentiniani, Marcionitæ, Anabaptistæ, Schwenckfeldiani*. Alij agnoverunt corpus Christi humanum, sed vel animam, ut *Ariani*, vel rationale tantum, ut *Apollinaristæ*, ipsi detraxerunt. Alij tandem statue-

runt, humanam Christi naturam nullis passionibus obnoxiam fuisse, quam opinionem quidam *Hilario* tribuunt. Nos autem Christum veram humanam naturam, nostræ *ἁμοξ'νον*, assumisse orthodoxè statuimus. Argumenta ex præsentii textu, collato cum cap. 7. hæc sunt :

1. *A Prophetæ testimonio.* Quicumq; ex purâ virgine natus est puer, ille est verus Homo. Nasci enim *ἄνθρωπον*, & quidem propriè, imò ex virgine ita nasci, est nasci verum hominem. vid. th. 7. Christus ex purâ virgine natus est puer. E.

2. *A promissione divinâ, quo proph. collimat.* Qualis Christus est pijs patribus in V. T. promissus, talis etiam natus est. At promissus est verus Deus & verus Homo, semen Davidis, nasciturus ex virgine. E.

3. *Ab officio Christi.* Quicumq; tanquam ex posteris Davidis, super ipsius solium regnare debet, illud stabilire & confirmare in iudicio & in iustitiâ, illum oportet verum esse Hominem. Atqui Christus tanquam ex posteris Davidis super solium ipsius regnare debet &c. E.

4. *Ab ejus educatione.* Quicumq; eodem modo educatur, quo vulgò homines educari solent, ille verus est homo. Atqui hic puer eodem modo educatur, quo vulgò homines educari solent. Conf. c. 7. 15. *Butyrum & mel comeder donec sciat reprobare malum, & eligere bonum*: quæ consuetudo liberos educandi in gente Judaica vigeat, ut uterentur melle & butyro etiam apud recens natos infantes. E.

Obijcitur. 1. *Apparuisse patribus in V. T. in specie seu phantasmate corporis humani.* E. sic etiam in N. T. Resp. 1. Nulla est in Arg. consequentia. 2. *Falsum, ipsum in Phantasmate apparuisse; sed sibi formavit corpus, in quo apparuit, quod ex actionibus & attributis veri corporis liquet, ambulabar. edebat, correptabatur, sedebat*: quod tamen corpus post iterum deposuit. 3. *Si phantasticum & putativum assumpsit corpus.* E. nos putativè sumus redempti, iustificati. 4. *E. jam etiam phantasticum habet corpus, cui nostra corpora sint futura similia* Phil. 3. ult. 5. *E. simulata fuisset Christi compassio, quæ fundamentum in verâ ipsius humanitate habet.* Heb. 2. 17. 6. *Quid? quod Christus ipse hunc errorem refutat, quandò Discipuli se spectrum videre putarunt.* Math. 14. 26.

Objicitur,

Obijcitur. 2. *Christus factus est in similitudine carnis & hominum*. Dan. 7. 13. Rom. 8. 3. Philip. 2. 7. Apoc. 1. 13. c. 14. 14. Resp. 1. *Locus* Dan. huc non pertinet. Tum enim nondum Christus erat incarnatus vel homo factus, sed præfigurabatur incarnandus. 2. *Paulus* dicit, Christum missum esse in similitudine carnis peccati: non autem verè peccatum. Christus habuit; sed peccatrix visa est ipsius humana caro, quatenus debitam sceleribus nostris pœnam sustinuit. Dupliciter enim Christus consideratur; 1. *in se*, ut filius Dei & hominis. Sic est *Sanctus Sanctorum*, Dan. 9. 24. *Immaculatus*. Heb. 7. 26. *expers peccati & doli*. Esa. 53. 9. Joh. 8. 46. 2. *respectivè*, ut Mediator & Redemptor generis humani, quo modo portat nostros languores. Esa. 53. 4. & peccata. Joh. 1. 29. & pro nobis est peccatum factus. 2. Cor. 5. 21. & *maledictio*. Gal. 3. 13. 3. Phil. 2. 7. Apostolus intelligit conditionem abjectam, vilem & infirmam, qua alijs hominibus Christus similis est factus, excepto peccato; quod esuriverit, sitiverit, ambulando defatigatus sit, &c. & nihil singulare præ cæteris visus sit habere. 4. Quæ ex Apoc. allegantur, sunt visiones. Quare huc non pertinent.

Obijcitur. 3. *Christus non assumpsit carnem peccatricem*. E. *non veram: quia omnis caro est peccatis infecta*. Resp. 1. Disting. inter *Substantiam* & *Accidens*. Caro hominum non *per se*, sed *per Accidens* est peccatrix. Quare illud Christus non tenebatur assumere: Sed sic assumere debuit carnem, ut *in se* & *per se* erat. 2. Adamus antè lapsum habuit veram carnem: non tamen peccatricem. E. sine peccato vera caro esse potest. 3. In alterâ vitâ veram carnem habebimus, non tamen peccato infectam.

Obijcitur. 4. *Christus non assumpsit naturæ vitia, cæcitatem, surditatem, febres, aliosq; morbos, qui naturæ humanæ adherere solent*. E. *non veram humanam naturam*. Resp. Disting. inter illas infirmitates, quæ sunt *naturæ totius*, & quæ sunt *privatorum & certorum hominum defectus & vitia*, ut ejusmodi morbi. Illæ dicuntur *naturales*, & sunt omnibus hominibus communes, atq; ex communi peccato totius naturæ in singulis consequuntur, ut *fames, sitis, defatigatio, mortalitas corporis*. Hæ appellantur *non naturales*, & proveniunt ex causis particularibus, ut ex imperfectâ corporis formatione & vitio seminis, vel ex intemperantiâ, vel ex insitiâ & imprudentiâ, quod res valedudini noxias ignoramus, vel non advertimus &c. Horum nihil



fit in Christo. E. necesse non habuit has speciales quorundam hominum infirmitates assumere. Si enim Adam ante lapsum verus esse potuit Homo, & talibus infirmitatibus carere, multo magis Christus, qui non imperfectiorem præ Adamo naturam assumere debuit. Tales etiam defectus personales aut particulares repugnassent perfectioni humanæ naturæ, & operi redemptionis obfuisent, siquidem tum peccata nostra Christus expiare non potuisset, si naturam ullo modo vitiosam assumpsisset.

#### Q U Æ S T I O I V.

#### *An duplex sit Messias.*

**P**robavimus duas esse in Christo naturas divinam & humanam. Consequens est, ut demonstremus has duas naturas constituere unam personam. Cum enim Judæi duplicem Messiam fingant, alterum filium Joseph seu Ephraim humilem, alterum filium David augustum, contra ipsos hæc notamus ex præsentis loco fundamenta.

1. Quicumque, tanquam singularis persona, Redemptor & liberator populo Iudaico promittitur, ille non est duplex persona, duplex Redemptor & liberator. Atqui Messias tanquam singularis persona, Redemptor & liberator populo Iudaico promittitur, ut ex totâ prophetæ concione apparet. E.

2. Affixæ Vau Cholem, quæ significationem Relativam singularis numeri habent, hic unam tantum personam, non plures innuunt. E. tantum unica est hic Messias promissus persona.

3. Ubi cumque, unius tantum imperij ab uno administrandi, sit mentio, ibi unica tantum notatur persona. Tale quid in loco præsentis contingit. E.

4. Is, qui constitutus est princeps Isa. 9, & Rex super montem Sion. Pf. 2. & cui datæ sunt gentes in hereditatem, & termini terræ in possessionem, ille est Messias filius David. Atqui Messias filius Joseph est is, qui princeps & Rex super montem Sion est constitutus, cui datæ sunt gentes in hereditatem, & termini terræ in possessionem. E. Messias filius Joseph est Messias filius David. Assumptio probatur ex Zach. 9. v. 9. 10. qui locus de Messia filio Joseph seu humili secundum Judæos intelligitur: cui tamen eadem elogia tribuuntur, quæ apud Esaiam & Psalmistam Messia, filio David quem augustum dicunt.

5. Qui confirmaturus erat regnum suum in iudicio & in iustitiâ, ille est Messias filius David juxta Isa. 9. 7. Atqui Messias filius Joseph confirmaturus

erat Regnum suum in iudicio & in iustitia. Zach. 9. 9. ubi hanc ob causam iustus dicitur. E. Messias filius Ioseph est Messias filius David.

Obiiciunt Judæi: Inveniri in script. duplicia vaticinia de Messia, & quidem contraria: quibudam in locis annuciari augustum ejus adventum, & regale dominium; alibi statum ejus humilem seu abjectum graphice depingi; quæ contraria vaticinia non posse de una personâ dari. Duplicem E. Messiam statuendum esse. Resp. 1. Non duplicem in script. describi Messiam, sed unius Messie duplicem adventum, quorum alter in humilitate sit futurus; alter verò in majestate. Unus igitur idemq; Messias primum venire debuit in humili & abjecto statu, debuit contemni, & omnis generis afflictiones experiri, tandem etiam in crucem agi: postmodum verò in glorioso statu & regni Majestate iterum, morte superatâ, apparere, imò in extremo die novum Regnum gloriæ inchoare, in omnem æternitatem regnaturus. Sic utrumq; verum est de Messia, humilis, pauperq;, augustus & dives est: Sed distinctis temporibus. 2. Prophetis non infrequens est beneficia Messie cœlestia & spiritualia verbis, ad res corporales & mundanas pertinentibus, describere per Typos & Metaphoras. Sic regnaturus ille dicitur in monte Sion. Mich. 4. 7. qui tamen jam est devastatus. c. 3. 12. idem in plurius de Messia vaticinijs factum est. Non igitur in illorum verbis vel contradictio vel contrarietas ulla fingi debet, cum diverso respectu verum sit, quod de Messie majestate & humilitate dixerant. Sed hæc cur diutius immoramur?

#### QUÆSTIO V.

*An Messias more politicorum principum  
vel Regum gubernare debeat.*

**A**udivimus, quæ de duplici Messia fingant Judæi, & quod alterum eorum, more mundanorum principum, regnantem expectent, quod etiam trahunt ista, quæ in nostro textu de Messie dominio & principatu dicuntur. Qui error ex præfenti loco sic jugulandus.

1. *A discrimine Regni Messie & Regnorum mundanorum.* Testatur Propheta Esa. c. 9. v. 3. 4. maximum fore discrimen inter regnum Messie, & reliquorum principum. Hi quando prælia instituunt, multorum armorum vi, multis instrumentis bellicis instructi sint oportet: sed Messias pugnaturus, talibus non indigebit:

bit: non alio modo vincet, atq; Israëlitz contra Midionitas pugnantes, ubi nullis gladijs, nullis machinis bellicis victoria parata. Confer historiam Iud. 7. 20. cum v. 4. Esa. 9. E. ipsius Regnum non erit mundanum, politicis regnis simile.

2. *A Regni hujus amplitudine.* Regnum hoc Messia incrementum suum habebit, & ita multiplicabitur, ut totius orbis omnia imperia longo post se relinquat intervallo. *Multiplicationi principatus non erit finis.* Regna mundana exiguis terrarum terminis circumscribuntur, hoc Messia Regnum nullis terrarum finibus continetur: sed ipse solus *Rex universalis & Catholicus* dicitur. E. inter Regnum Messia & Regna mundana maximum animadvertitur discrimen.

3. *A Regni hujus duratione:* Nullum Regnum mundanum, nullus principatus perpetuus est. De hac Messia Regno tamen affirmatur, quod sit confirmandum & corroborandum in iudicio & iustitiâ ab hoc tempore usq; in seculum. E. non est Regnum mundanum.

4. *A Regni hujus gubernatione.* Regna hujus seculi incumbunt humeris subditorum, qui tributa, vectigalia &c. solvere Magistratui coguntur. Verum hoc Regnum humeris Messia incumbit. *Cujus principatus super humerum ejus.* E.

Quando igitur plurima in scripturâ occurrunt dicta, quæ mundanum quoddam imperium Messia nobis videntur describere, tùm consuetudinem SS. attendamus, qui regimen Messia coeleste & spirituale verbis ad politicum aliquod imperium pertinentibus describere solet. Cujus rei hæc est ratio, quod coeleste & divinum ejus imperium humano sensu non percipiatur, nec linguâ hominis enarrari possit. Sicut igitur nutrix se demittit ad gressus inferiores infantuli: Sic SS. non coelesti magnificentia, sed terrestri simplicitate de summis mysterijs loquitur, humano nostro captui condescendit, & vocabulis terrenæ felicitatis coelestia proponit, ut appetitus illorum in nobis crescat, & res mundanæ nihili pendantur. &c.

*Veni, veni, mi Jesule,  
Huc tende, mellitissime,  
Cunas tibi, Rex optime,  
Nostro struas in pectore.*





erat Regnum suum in iudicio & in iustitia. Zach. 9. 9. u-  
stus dicitur. E. Messias filius Ioseph esi Messias filius Davi

Obijciunt Judæi: Inveniri in scripti. duplicia va-  
quidem contraria: quibusdam in loco annunciari augusti  
& regale dominium; alibi statum eius humilem seu abjecto  
que contraria vaticinia non posse de una personâ dari. I-  
statuendum esse. Resp. 1. Non duplicem in scripti. o-  
sed unius Messie duplicem adventum, quorum alteri  
turus; alter verò in majestate. Unus igitur ide-  
mum venire debuit in humili & abjecto statu, deb-  
omnis generis afflictiones experiri, tandem etia  
postmodum verò in glorioso statu & regia Majestate i-  
peratâ, apparere, imò in extremo die novum Re-  
choare, in omnem æternitatem regnaturus. Si-  
est de Mesiâ, humilis, pauper, & dives est  
temporibus. 2. Prophetis non infrequens est  
cœlestia & spiritualia verbis, ad res corporales  
rinentibus, describere per Typos & Metaphoras  
ille dicitur in monte Sion. Mich. 4. 7. qui tamen  
tus. c. 3. 12. idem in plurius de Mesiâ vaticinijs  
igitur in illorum verbis vel contraditio vel  
fingi debet, cum diverso respectu verum sit, quod  
stare & humilitate dixerant. Sed hisce cur diutius

### QUÆSTIO V.

*An Messias more politicorum pa-  
vel Regum gubernare debeat*

**A**udivimus, quæ de duplici Mesiâ fingant  
alterum eorum, more mundanorum pri-  
tem expectent, quod etiam trahunt ista, quæ i-  
Messie dominio & principatu dicuntur. Qui  
loco sic jagutandus.

1. A discrimine Regni Messie & Regnorum mundi.  
Propheta Esa. c. 9. v. 3. 4. maximum fore disci-  
men Messie, & reliquorum principum. Hi que-  
tuunt, multorum armorum vi, multis instrum-  
strudi sint oportet: sed Messias pugnaturus, ia-

